

IN NOMINE JESU!
DISPUTATIO POLITICA

De

MAJESTATE EJUSq;
JURIBUS, ECCLESIASTICIS
ET POLITICIS;

Quam

AUXILIO SUPREMI NUMINIS,

Et

*Suffragio Amplissima Facultatis Philosophica, in illustri
& florentissima Regia Academia Aboënsi:*

SUB PRÆSIDIO

Nobilissimi & Amplissimi VIRI,

DN. SAMUELIS WYDENSTÄMPEL

De Kerrenheim/ &c. Hæred. Politices & Hist. Prof. Ord.

Præceptoris & Promotoris sui maximè su-
spiciendi :

PRO GRADU MAGISTERII,

*Sobriè Philosophantium examini placidaq; censura
publicè submittit*

PETRUS OLAI HANSSON Smol.

In Auditorio superiori & maximo, Anno Christi 1679.
die 31. Octobris, horis ab oct. matutinis

A B O Æ,

Excusa apud Viduam Hanlonii, Acad. Typogr.

Laurentius Pichardus

S.^æ R.^æ M.^{tis} VIRIS fidelissimis,

*- Nobilitate ac Amplitudine Præclaris, rerumque Civili-
lium Consultissimis Prudentissimisque,*

DN. ANDREÆ Gyllenkrook/
Domino in Kaulansu &c. Dicasterii Aboënsis
Adlessori gravissimo, Ditionis Kymmenegård Terri-
toriali juridico, nec non in Comitatu Kaseburgensi
V-Juridico Provinciali æquissimo; Patrono, Me-
cœnati & Nutritio, omni animi obsequio & de-
voto pietatis cultu ætatè prosequendo,
suspiciendo,

DN. DIDERICO B. Leyonberg/
Per Finlandiam, Nylandiam & Careliam, mariti-
morum vectigalium Inspectori attentissimo,
itidem Patrono & Promotori be-
nignissimo.

Item Spectatissimo

DN. LAURENTIO Banc/
Pannariæ Negotiationis in celeberrimo Holmensi
Emporio Inspectori solertissimo, fautori &
benefactori maximè colendo,

Salutem Annos & felicitatem.!



Cenerosum esse & omni favore dignum in-
gentum, cui sunt cordi disciplina politica, satis
præclare alicubi dixerat Xenophon. Imò totam
philosophiam thesaurum inæstimabilem ab o-
mnibus illis, quibus de meliore luto finxit præcordia
Titæ, salutari ignoramus nulli. Non ipsam tacemus Scientiam
Naturalem, quæ tanta est dignitate & sublimitate, ut ejus beneficio,
non modo admirandum Dei creatoris opus, cælum atque terram, o-
mniaque, quæ vastissimus hujus mundi continet ambitus, liceat con-
templari; verum etiam penitus ejus scrutinia & adyta penetrare atq;
inquirere. Primam Philosophiam, quæ alias Metaphysica audit,
siccopedè non transeundam puto; ejus enim utilitatem & necessitatem
in obscurioribus terminis enucleandû atq; interpretandû omnes sum-
moperè eunt depradicatum. Hanc etenim insignem prorsus usum
contra Heterodoxorum strophas captioneq;, humana quæ neçtitra-
tio, obtinere neminem in aciem progressum ad sacra prælia inficias
iturum autumandum est. In disciplinis Mathematicis, quæ ne-
scit Arithmeticam, usum non modò in Mercimonia & Oeconomias,
spargere sed & in Geometriam, Astrologiam, Geogra-
phiam, resq; opticas admodum insignem. Quid memorem de
Geometriâ & Geographiâ, in vitâ tam contemplativâ, quam
activâ dulcissimû disciplinis, edocentibus omnium & dimensiones &
descriptions locorum. Num quid Astrologiam edocetum, astro-
rum eorumq; ortus & occasus, Eclipsiumq; exquisita fallat cognitio?
Quid dicamus de primâ parte Philosophiæ moralis Ethicâ, in quâ
summum, in actionis virtute, inquirimus bonum? Nec Oeconomi-
cam, alto involutam silentio volumus, familiam imprimis &
curam adtendentem domesticam. Sed frustra hisce immoror de-
pradi-

predicandis disciplinis cum illis, ceterisq; quarum nunc mentio,
 brevitatis, cui velificamur, causâ, jam non est injecta, palman-
 prariperè haud immeritò videatur Regina illa disciplinarum & ars
 artium Architectonica, Politica: Etenim ejus dignitatem & utili-
 satem, nobis quam praeferat in vitâ communi extra omnem controver-
 sia aleam ponimus. Deus enim est, qui nostris mentibus vim atque
 propensionem ad vitâ societatem in ipsa creatione inseruit, undè ho-
 mo animal naturâ politicum à Philosopho adpellatur. DEUS
 est, qui statuta judicialia & leges Israëlitis prescribere populo non
 est dedignatus. Deus est, qui hodiè etiam constituit & transfert
 regna; Reges, Principes & Magistratus, ipsius sunt Vasalli & Sub-
 delegati. Ex hac nobilissimâ disciplinâ, deponendi ergò speciminis
 publici, elegi egregiam hanc & insignem Materiam de Majestate
 ejusq; Juribus Ecclesiasticis & secularibus, quam etiam, non
 ut debui, sed ut potui, rudi Minervâ adumbravi & depinxi. Cæ-
 terùm ut haec qualicumq; operi aliquam lucem, quam ex se non ha-
 bet fœnerarer, illud Vestris Nominibus, Nob. & Spectatiss. Dn. Pa-
 troni, instar firmorum praesidiorum, adversus Malevolos & Momos,
 quorum nostrum hoc seculum uberrimum adtulit proventum, in-
 scriptum & consecratum eo. Accipite proinde hilari vultu, Patres
 Opt. hoc, quidquid est, ingenij specimen, in thesseram nunquam
 intermoritura gratitudinis; meisq; olim commodis, quibus hactenus
 inexpugnabili favore velificati estis, consulite! ipse vicissim vo-
 bis, Nob. & Spectatiss. Dn. Patroni, quavis fausta precari non desistam,
 qui sum & ero

Vestris Nominibus

fide & officio

Additissimus

PETRUS H. H. H.

IN NÖMINE JESU!
DISPUTATIO POLITICA
DE
MAJESTATE EJUSQUE JURIBUS.

THESIS I.



Majestas est summa & legibus soluta potestas procurandi, ordinandi & disponendi media illa, quæ ad salutem & utilitatem tum corporalem tum spiritualement corporis politici pertinent. Jac. Mart. lib. 2. pol. cap. 19. de Majest. Vel summum Imperium est absoluta perpetua legibusque soluta potestas, in personas ac res, certâ ditione comprehensas, salutis publicæ causâ. Giesl. Exer. II. pol. de summo imperio. Vel Majestas est summa & perpetua, legibusque soluta potestas competens in res & personas suæ ditionis, vel inibi existentes pertinens ad administrationem & omnes curas gubernationis pro reip. salute disponendi. Notamus heic circa *definitum* I. ὀνομασιολογίας, ubi tria perpendimus: (α) *Etymologiam*. Derivant Majestatem alicuius à magnitudine quasi major nominetur status. Tholof. l. 8. Aris. de Jure Majestatis. Alii à majus, sicut à tempus tempestas; ita à Majus Majestas Schyboth. pol. lib. 1. cap. 9. Nos autem cum Jurisconsultis non tam nomen quàm rem intuemur, Majestatique originem & derivationem à præminentis & juribus, quibus illa gaudet, tributū imus; prout omnibus aliis imperiis dignitatibus quoque & honoribus jus quoddam & fastigium superius sit, quo jure, excepto Deo,

nihil majus aut excelsius esse possit. *Ut enim Sol splendore cuncta sidera, ita Majestas Reip, membra cetera, dignitate, splendore, auctoritate, nec non potestate superat atq; transcendit.* (β) *Homonymiam.* Vox Majestatis accipitur vel concretivè, & ipsum Monarcham, Majestate & potestate summâ, legibusq; solutâ fulgentem, significat. Vel abstractivè, potestatemq; & functionem ipsam denotat. *Majestatem* aliâs distingvimus in *realem* & *personalem*: Illa regno perpetuò inhæret, eiq; est coæva, nec per decessum Monarchæ, expirat, sed quamdiu corpus regni durat, permanet, & sub ipsis interregnis & alternationibus gubernationum, subsistit. Hæc scilicet *personalis Majestas* est, quæ personæ, cui collata inest, & cum ea coincidit, interit & expirat, & ex quâ in aliam transferri potest. Porro *Majestas Realis Majestas imperii* audit, quia fundamentum imperii est, quo cum nascitur & interit. *Majestas* verò *personalis, Majestas imperantis, & à Majestate imperii, tanquam fundamentum à fundamentato distingvitur.* Undè fit, ut Majestati imperii, imperantis *Majestas* tanquam superiori obstringatur, ne quid Respublica detrimenti capiat, & in foederibus quandoq; regni *Majestas, non regis* exprimitur. Vide spec Saxon: Jun: Brutum, in Vindiciis contra Tyran. Bod, lib. 1. de rep. cap. 7. (γ) *Synonymiam, Aristoteles* suis in libris pol. *Majestatem* vocat, *αυτοκρατορίαν, κυρίαν ἀρχήν, δύναμιν καὶ ἀρχήν πολιτικὴν, κύριον πολίτευμα, ἀκραν ἐξουσίαν, alii μεγαλοπρέπειαν, μεγαλοσύνην, ἀγίαν βασιλείαν.* Latinis vocatur *Majestas, Summum imperium, Summa potestas, augusta Auctoritas, Celsitudo principium, Præt. part. post. pol. c. 1. de Summa potestate: alias Majestas* denotatur per *Sacra regni, Jura imperii, Summa rerum, Jura sublimia.* Clapmar. de Arcanis Rerum publicarum lib. 1. c. 10. Quin imò exprimitur *Majestas* per ornamentum

Ornamenta & Insignia, quæ in solennibus coronationis & inauguratione Regis adhibentur, utpote per *Coronam*, *Ensem*, *Sceptrum*, *Pomum* & *Clavem*, beatæ memoriæ Doct. Gyls denstâlpe disp. 5. pol. de Juribus Majestatis. *Corona*, purissimo auro gemmisq; fulgens, Sphærica est, & signum Regiæ sublimitatis & indivisionis regni; per *Ensem* exprimitur illa, quâ boni defenduntur, mali verò puniuntur. Regia potestas. *Sceptrum* est potestatis & Justitiæ nota. *Pomum* potentiam terra mariq; latè diffusam repræsentat, cunctaq; ad Christi honorem referenda. *Clavis* ærarii potestatem & noxiorum aversionem denotat. *Amiculum* imperii dignitatem. Vide sis pol. Reverendiss. Doct. J. O. H. GEZELII part. post. c. 1. & beat. Doct. Gyllenst. pol. disp. 3. de Monarcha sive Rege constituendo, item elegantissimos illos, quos in eadem disp. Doctor Gyls. de coronatione & unctione Christiænæ, quondam Suecorum & Gothorum &c. &c. Serenissimæ Reginæ, infert, à Loccenio concinnatos versiculos. II. Perpendidimus *περυσματολογία*, seu definitionem ipsam, quæ realis audit.

THE S. II.

ET primò omnium nobis expendenda occurrit Majestatis *causa efficiens*, quam nos duplicem esse volumus, divinam scilicet & humanam: illam dicimus Deum immediatè ut Sauli & Davidi, vel mediatè Iura Majestatis imperatori & Regi vicem Dei in his terris gerentibus decernere. Hanc vero populum vel Ephoros regni, populi vicem supplentes imperatori & Regi potestatem & Majestatem concèdere statuimus. Interim nobis cautio est adhibenda ne populo tribuamus quæ Dei sunt: indè distingvimus inter ipsam Potestatem & ejus Translationem, illam fluere à Deo, neminem quippe esse potestatem nisi à Deo.

Rom. 13. Hanc verò, nempe Translationem Potestatis à Populo esse factam, neminem sanioris sensus inficias iturum autumamus. Non tamen indè conclusum ibimus hanc à populo translata potestatem à transferente suam deducere originem, confer sis Bornit. de Majestate.

THESES. III.

CONFERTUR præterea Majestas in Imperatorē & Regē vel modo Ordinario vel Extraordinario: Illo modo fit per media ordinaria, puta Successionem vel Electionem: Hoc verò vel frequentius vel rarius: Frequentius, quando Imperator vel Rex, Summam sibi potestatem, vel mediis Pacificis, ut jure Dotis, vel Testamento acquirit: vel Bellicis, ut quando sibi Majestatem Regiam in alienis ditionibus, bello parit. Rarius autem, quando jura Majestatis Imperatori vel Regi, Casu vel Sorte committuntur. Sic Darium, hincnitu Equorum, Regem esse electum, testibus Herodoto lib. 3. & Just. lib. 1. Quid dicamus de Gordio, ad Iovis Templum cursu se conferente, à Phrygibus ex responsu Oraculi, in Regem electo? Vide Tholof. lib. 7. de rep. undè plura peti possunt exempla. & hæc sunt dicta de origine Majestatis, vel de causa Majestatis procreante, ut loquar cum Dirhmarso Syst. pol. lib. 3. *Conservantem causam, Legem & Arma esse statimus*, sine quibus Resp. firma & tuta esse nequit: Causam verò instrumentalem, Leges Fundamentales, quibus sublatis, salus & status reip. evertitur. Danæus lib. 3. pol. Christ, c. 6. aut ad minimum in aliam speciem mutatur.

THESES. IV.

MAJESTATIS materiam heic non damus aliam, quam in qua. Ubi quæritur, cuinam competat hæc Majestas: Primum Imperatori & Regibus; deinde Electoribus, Principibus, Comitibus

mitibus, & liberis Rebus. Sententia est non paucorum Polle-
 corum, & Ictorum. Quibus Majestas significat *Authorita-*
tem & Amplitudinem vel Principis vel populi Romani, vel Magi-
stratus. L. penult. ff. de Iustitia & Jure. L. 9. ff. de jurisdic-
 tione. Huic Ictorum sententiæ calculus adjici po-
 test, discussâ illâ, quâ laborat ambiguitate, vox Ma-
 jestatis: Sumitur enim vel *γενικῶς* & generaliter, &
 competit non soli Imperatori & Regibus, sed & cuivis per-
 fectæ Reip. uti vult cum Bodino, Tholosanus lib. 9. de rep.
 vel *ιδιῶς* & specialiter, & competit soli Imperatori & Re-
 gibus: est quippe Potestas planè absoluta independens &
 legibus soluta. Majestas verò Electorum, Principum, Co-
 mitum &c. determinata & subordinata, derivataq; à sum-
 ma Imperii potestate. Huc accedit illud Marci Tullii pro
 Cornelio agentis: *magnum nomen, magna species, magna majestas*
Consulû. Undè Miczislavus & Uladislavus, Reges Polonorum,
 Majestatem soli Imperatori & Regibus competere propriè &
 immediatè ignari, Regio sese titulo abdicarunt, adq; Pa-
 pam pertinere rati, ut Regium conferret Diadema, ad quem
 etiam miserunt, licentiam coronâ utendi petitum. Gram.
 lib. 5. Chron. Pol. *nescientes cum Nerone, quantum licuit.*
 Quam tamen Majestatem sibi assererent 1. ex Titulo Impe-
 ratoris & Regum, solis sibi Majestatis titulum vendicanti-
 um: 2. Ex inductione omnium Jurium Majestatis, quo-
 rum paulò post mentionem injicere animus est, impera-
 tori & Regibus immediatè adtribuendorum.

THES. V.

FORMAM Majestatis consistere in potestate seu superiorita-
 te Majestatica, asserere non veremur: *per formam enim res*
est id, quod est. Præclariss. M. Flachs. in Collegio suo Log.
 part. prim. cap. 4. thes. 3. Atqui per potestatem Summam

Perpetuam, legibusque solutam & propriam, Majestas est id, quod est, atque à cæteris omnibus dignitatibus distinguitur. Proinde non velificamur sententiæ eorū, Majestatem in Titulorum ornatu sive splendore statuentium, cum Titulorū ille splendor, à Majestate separari possit: nec Tholosani lib. 8. c. 3. Quod sit latens quidpiā, asseverantis. Nec Lipsii l. 2. pol. c. 16. Sententiam adprobendam volumus, *Majestatem, Reverendam Amplitudinem, ob meritum virtutis aut rerum affinium, vocanti.*

THESES. VI.

Primum Majestatis esto requisitum, ut sit Summa, juxta Aristotelem. *Majestas est summa in civitate ubique, sive in omnibus potestas.* 3. pol. 6. *Non respectu Dei omnipotentis, sed hominum sibi subjectorum, nec tam universorum, quam singulorum, quippe sine implicatione contradictionis, superiorem agnoscere natura Majestatis non est quita: supra quod aliquid est superius illud non est summum.* Undè Regio titulo insignitis, alterius tamen subjacentibus imperio, non esse perfectam & illibatam potestatem patet. Qualis erat Rex Danorum tunc temporis, cum Friderico II. Imperatori fidem daret: *Rex Danorum Magnus, se in potestatem Imperatoris tradidit, obsides dedit, juramentū fecit, se suosque successores, non nisi Imperatoris & successorū ejus permissu regnum adepturos,* Tritheimius c. 17. Summa proinde potestas non aliū nisi Deū agnoscit autorē, ideoque suæ quasi originis, non alterius beneficio, quam Dei solius, cujus in terris gerit vices, se acceptam fert. Indè Imperatores & Reges, ad quos Regnū sive per ordinem Successionis, sive jure Hæreditario descenderat, suis addunt nominibus hæc verba: *Dei gratia: nostrates Reges med Gudz Nåde. Germani von Gottes Gnaden.* Nihil autem refert sive quis paucioribus sive pluribus cum summa potestate imperat civitatibus. Illius quippe potestas, qui pluribus, non est major illius potestate, qui paucioribus imperitat, scilicet intensivè, licet major exten-

extensivè, & ad plures sese extendat. II. *Requisitum facimus* Majestatis: *quod sit propria & perpetua*: vix enim Summa vocanda, quando ad certum tempus alicui conceditur, plena potestas. Undè sententiæ Grotii de Jur belli, calculum non addimus, de Dictatoribus Romanis, ad breve tempus, sex tantū menses Dictatorio munere fungentibus. Nec Imperium Consulare, quia annuum fuerat Majestaticæ superioritatis, cum perpetua esse debet Majestas, quamdiū regnum durat, & quamdiū vivit is, cui regni Majestas tradita est. Undè patet: Administratores, qui vel propter absentiam, vel infantiam, vel deniq; furorem veri Regis interdum creari solent, propriam Majestatem non obtinere; Sed illis paulò post deponendam. Quam etiam denegamus legato, qui quidem perpetuam potestatem habet, sed precariam, cum de ea rationem Regi, vel principi reddere tenetur. Quare curatorem Majestatis eum agnoscimus, sed Majestatem ipsam penes eum esse nequaquam concedimus, quæ vel penes Regem, seu Principem, vel Optimates, vel Populum remanet. III. *Majestatis requisitum facimus: legibus esse solutam.* Quum n. Rex, Dei sit vicarius, legatus & lex animata, ita ut in hac sua ditione superiores non agnoscat potentiam, quomodo igitur leges? quæ arman- tur à vi superiore tanquam scita potentia ejus, alioquin ridentæ, ut leges Leporum in Leones lata: ex fabula Antisthenis 3. pol. cap. 18. Majestatem n. superiores in rep. non agnoscimus potentiam. *Nihilominus Regem legibus divini exemptum esse nolumus, cum utriusque tabula custos sit.* Psal. 72. 1. 2. 3. & passim alibi, alius enim datur in Rege respectus ad suum regnum & subditos, quo respectu Rex: alius respectus ad Deum, quo respectu non Rex est, sed subditus Dei, & Civis mundanus: Rex quidem est om-
nium

mium Dominus, ait Agapetus Diaconus apud Stobæ: Serm. 32. Servus tamen Dei cum omnibus. *Nec legibus naturalibus Regens solus esse volumus, nam leges natura sunt ipsa leges divina: tantum ratione ab illis distincta. Sunt enim omnium hominum cordibus inscripta. Rom. 2. ac proinde immutabiliter hominem obligant. Deo enim & natura ut nemo imperat: ita his nemo eximitur.* Gielf. Exer. 2. pol. de summo imperio. *Nec legibus Majestatis, siquidem in hisce fundamentum totius imperii consistit. Unde etiam leges fundamentales adpellantur: & in easdem in Inauguratione & Inthronisatione, Imperator & Reges jurare tenentur. Id quod ex legibus fundamentalibus imperii Romani adparet, in quas juravit CAROLUS V. electus imperator: ut refert Sleidanus in Comment. Item ex legibus fundamentalibus regni Gallici, quas refert Hot. l. 1. de ant. jure reg. Gall. Ad hasce igitur regulas, tanquam ad cynosuram, omnia administrationis suæ negotia Imperatori & Regibus referenda sunt.*

THE S. VII.

Finis Majestatis duplex est divinus & humanus: ille respicit Ecclesiæ salutem; veræ religionis propagationem & Conservationem: Hic vero Regni & Subditorum incolomitatem, Naturalem, Moralem & Civilem.

THE S. VIII.

Majestatem ratione forma sive excellentiæ Jurium consideratam, asserimus ea esse in Majora & Minora dividenda: inq; illis supremam Potestatem & Dignitatem consistere, & quæ nec patiuntur se in alios transferri: in his verò facilius fieri Imperatoris & Regum concessionem & communicationem. Alias consideramus jura Majestatis, vel prout sunt *Ecclesiastica, vel Politica & Secularia*: illa æternam

nam

nam hominis vitam concertunt: Hæc honestatem & justitiam Civilem directè determinant: pro duplici vitæ societate, quarum una Sprituale, altera Seculari adpellatione venit, dictum enim est Majestatem utriusque tabulæ esse custodem: juraque proindè Majestatis nihil esse aliud, quam exercitia summæ potestatis, prout res in rep. diversæ administrandæ occurrunt.

THESIS IX.

Primum igitur Majestatis, Ecclesiasticū jus ponimus, in Religionis tutelâ & propagatione: jus enim Ecclesiasticum est potestas disponendi, ordinandi, curandique media ad religionem veram, divinumque cultum & æternam hominis salutem proficientia, Politico corpori competens. Hæc. disp. pol. 3. Majestas igitur Ecclesiastica est, quæ circa Ecclesiam & res eò pertinentes est occupata. Matthias 3. pol. Exer. Sect. 7. Adeò ut nec dubitari possit, quin & antiquitùs quoque cura Religionis ad jura Majestatis pertinerit. Numa Pompilius *sacras & Ceremonias, omnemque cultum Deorum immortalium docuit; ille Pontifices, Augures, Salios ceteraque sacerdotia, jure summa Majestatis instituit.* Flor. lib. 1. c. 2. *Omniaq; quæ ad Divinum cultum spectabant* (annotante Freinshemio) in octo distribuit partes: quorum primi erant Curiones, pro Curialibus rem divinam facientes. Secundi Flamines, à gestatione pilei flaminei adpellati. Tertiò erant Tribuni Celerum Regum ad bellum euntium satellites & custodes. Quarto ordine Augures avium & divinitùs emissa signa interpretaturi. Quintus ordo habebat vestales virgines sacri ignis custodes. Sexto sequebantur loco Salii, qui saltatione & choreis laudabant Deos, armorum præsidēs. Septimâ in classe Feciales locabantur, quorum erat cura fœderum & fœderatorum: ultimo & octavo nu-

mero Pontifices à ponte ligneo seu sublicio reficiendo dicti, quibus compete-
 bat cognitio de Ceremonijs, religione, sacris & examen Sacerdotum, Neque tacemus Sacram paginam, tot
 piorum Regum exempla producentem, Religionem & ritus, ex verbo Dei in Remp. magnâ contentione introducentium & procurantium: Davidis, Salomonis, Joæ, Josiæ. Nec nostrates præterimus Reges: Biörn, iv. & Olauum Stof-
 fonung, fidem Christianam per Sueciam constituentes: Sanctum Ericum qui eam in Finlandiam inuexit; Gusta-
 vum I. qui superstitionem abolevit Papiſticam; CAROLUM IX. qui religionem veram ad Lappones propagavit; Gu-
 stavum Adolphum, qui pro Lutheranâ doctrinâ tuendâ, in Germania telo ictus, occubuit in perpetuam nominis sui laudem. Sed dicat quis, Majestatis non esse potestatem circa res Ecclesiasticas & doctrinam fidei, sed eâ esse potius huic subjectam. Verum distingue, & res erit expedita: Potestatem Ecclesiasticam esse duplicem, Interuam & Externam: Illam ab Ecclesiasticis, Ecclesiasticè in Ecclesia exerceri, docendo, solvendo, ligando, Sacramentaq; administrando: Hanc extra Templum circa personas & res Ecclesiasticas civiliter exerceri, & consistere in legibus condendis, conditisq; tuendis, interpretandisque: quæ perelegans distinctio ex memorabili dicto Constantini Magni ad Episcopos sumta est. *Vos estis, inquit, Episcopi in Ecclesia: ego extra Ecclesiam seu Templum Episcopus constitutus.* Euseb, lib. 4. cap. 24.

T H E S. X.

SECUNDUM *Majestatis* jus Ecclesiasticum in Sacri ordinis consistit gubernatione, quo potestatem obtinet. Suprema potestas in personas Ecclesiasticas. Etsi enim dignior sit illa persona, animam quæ regit, quam quæ corpus, istam

istam tamen non ex usu hujus Seculi, sed usu Coeli metiemur.
 Befold. 1. pol. c. 3. n. 7. Huc referri potest, jus Synodos ge-
 nerales & extraordinarias, seu Provincialia concilia con-
 vocandi. Quale Rex Joh. 111. Anno 1572 Ubsaliae coëgit.
 Hujus modi fuit consilium Ubsal. 1593. Sic concilium à
 Constantino Magno convocatum est Nicænam, Anno
 Christi 328. quod triennium & quod excedit, duravit.
 Ruff. lib. 1. cap. 7. Euseb. lib. 6. cap. 6. de vita Constantini.
 Sozim. lib. 1. cap. 16. Socrates lib. 1. cap. 6. à Theodosio
 Magno, Synodus contra Macedonium convocata fuit Con-
 stantinopolin, Anno 385. Niceph. lib. 12. cap. 10. Undè
 dispalescit hanc Potestatem summam, non apud Pontifi-
 cem Romanum, sed semper, omnibus retrò seculis, Penes
 Imperatores & Reges fuisse. Et huc pertinet jus, certas
 formas Consistoriorum instituendi, Episcopos & Pastores
 in amplioribus beneficiis, (quæ regalia adpellari solent)
 confirmandi, eosq; sustentandi. Festa & solennia precum,
 & gratiarum actionis, indicendi & promulgandi, quod præ-
 ter ipsam experientiam, in nostra patria, confirmant tam
 veteris quam novi Testamenti exempla. Deniq; jus Scho-
 las, Gymnasia & Academias instituendi & erigendi, quæ
 seminaria sunt Ecclesiæ & Reipublicæ. Etenim harum
 fundatio, juxta Vulteium, unicè ad Imperatoris & Regum
 præminentiam referenda. Quam non nisi pravâ usurpa-
 tione sibi adscripsisse (referente Baldo] Pontificem Roma-
 num: & hoc vetustissimæ testantur Academiæ: quarum
 sese prima offert, Academia Bononiensis, Studiosorum ma-
 ter, quæ prima omnium à Theodosio Imperatore fun-
 data, privilegia quædam accepit, deindè à Carolo Magno
 reparata, Postremum vero à Lothario Saxone dotata, lo-
 cupletata, immunitatibusq; & novis privilegiis exornata.

Sic quoq; Academiæ Parisiensis, Pragensis, & ipsa Pataviana, non nisi Carolos nimirum Magnum & IV. fundatores & Confirmatores habent & agnoscunt. Ultimò jus Majestatis Ecclesiasticum, ponimus in locorum & bonorum Ecclesiæ rectione & provisione. Cum enim religio & Ecclesia publicum sit bonum, justius nemo publica loca & redditus Ecclesiæ publicos ordinare poterit, quam potestas Summa, & hoc auctoritate piorum Regum Veteris Testamenti, Josuæ, Davidis, Salomonis & Josiæ. Videtis Althus. cap. 28. de ministerio Ecclesiastico. Tantum de Ecclesiasticis Juribus sunt dicta: Sequuntur Politica & Secularia.

T H E S. XI.

ESt utiq; jus seculare seu Politicum, potestas disponendi & ordinandi media, quæ ad utilitatem corporis politici temporalem primariò sunt accommodata. Hœn. disp. pol. 3. Th. 41. Ut igitur Summum & præcipuum, ita & primum Majestatis politicum jus est, Leges universis & singulis condere, dare & abrogare in Imperio: ita tamen ut sapientium virorum, subditorumq; non prætereatur consensus: undè non diminuitur Majestas, sed ejus gloria magis splendet. Ita imperio Romano ad unum solum principem translato, etiam si generalis legum condendi potestas concessa est, quæ tamen hodiè limitata est. Strat. Pol. cap. 7. Non solus Imperator, sed cum consensu Electorum & statuum imperii Rom. legem condit universalem. Ita leges apud nos, absq; Senatorum & populi consensu non introducuntur & constituuntur, quantumvis Regio nomine promulgentur. Iure Svec. prov. titulo de Rege. c. 4. art. 7. absit tamen exinde statuere imperium mixtum. Atque ut leges condendi, utpote, tum Universales tum Fundamentales

tales, statum imperii concernentes, tum merè civiles potestatem habet Summa potestas, ita etiam eas interpretandi, omniumq; Iudiciorum ordinationem & ultimam provocationem. Cit cap. 4. R. B. G. Q. in fine. Quam legis interpretationem triplicem facimus, usualem sive Casualem, doctrinalem sive Doctorum Juris dogmaticam & authenticam: usualis ex usu, observantiâ & consuetudine desumitur: Doctrinalis, ex ipso Iure, per Ictos eruitur. Authentica hoc loco intelligitur, & ad hanc recurritur ultimò, quamq; interpretatur Majestas. Huc etiam spectat abrogatio legis à Rege & principe lata, non naturalis & divinæ, quam qui tollit, injurius est in ipsum Deum Terop. Max. & Naturam, sive Papa, sive Imperator sive alius fuerit Princeps. Videat itaque, quo Iure Pontifex Rom. contra expressum Dei mandatum, quos Deus conjunxit, homo non separet, separandi licentiam sibi sumat, & in gradibus prohibitis dispenset. Et præterea quemadmodum generales leges fert Majestas, sic ejusdem est Jus singulare, privilegia dare, quæ pariter ut publicæ leges in potestate sunt Imperantis, qui ea, ratione eorum cessante, mutare vel adimere potest. Statuimus proinde Solius Majestatis esse privilegia & certarum rerum confirmationem atq; dispensationem, ob certam aliquam rationem à lege communi concedere. Huc pertinet Jus Homagio & hominio obstringendi cunctos Imperio subjectos, ad leges & fidelitatem incorruptè observandam & præstandam, & quidem nullo excepto. Iure prov. tit. de Rege cap. 5. Summum proinde hoc Jus & privilegium à Divina Majestate primas quæ leges condidit Exod. 20. in Majestatem Imperiorum terrestrium est translatum.

THESIS XII.

Secundum *Majestatis* politicum jus est, *Officiales & Magi-
stratus* constituere, & *jurisdictionem* tribuere vel ad-
 mittere. Cap 8. *R. B. L.* Nam qui Imperio & *jurisdictione*
 utuntur *precariâ magistratus*, nequeunt ea aliundè acce-
 pisse, quam à *Majestate*, quippe *cujus propria sunt.* Arnif.
 de summo imperio & ejus *juribus.* Et hæc *potestas* ita
 cohæret *summæ Majestati*, ut facta *legum sanctione*, ei ni-
 hil magis *prosit.* Constituuntur enim *Magistratus* pro-
 pter *executionem legum*: Lex enim sine *executione* est
 instar *campanæ vel nolæ sine pistillo.* Aliud tamen
 est *leges condere*, aliud *juxta eas decernere*: illud *Maje-
statis* est: Hoc *magistratus Majestati subalternati.* Eius itaq;
 omninò est *Magistratum ordinare*, *cujus est legem jubere.*
*videtis Besol. pol. c. 4. & Doct. Lansium de leg. Reg. Hisceq;
justitiæ Administratores mediatis, Majestatis auctoritas
& potestas non minuitur, sed in suo vigore conservatur.*
 Nam quemadmodum non est *infirmior manus* quod sit in
digitos dissecta, sed est *ad agendum agilior*: ita nec *im-
minuitur Summa potestas* à pluribus *explicata*, & *negotia
multis in rep. communicata*, *facilius expediuntur*: quippe
Magistratum creatio & constitutio, nihil aliud est quam
jurisdictionis concessio, non *absolutæ sed limitatæ*: salvo
jure Majestatis, vel ad *Rempregendam*, vel *jus privatis di-
cendum.* Licet *Majestas concedat privilegia & honores*,
 tamen non nisi *cumulativè ex fonte Majestatis*, & non
privativè seu abdicativè, vel certè *salva superioritate.*
 Etenim, nunquam *cessenda est Majestas adeò plenam
concessisse jurisdictionem*, ut non *Majorem apud se reti-
nerit*, itaque *subordinatæ potestates & magistratus* non
 utuntur *Summâ potestate*, quæ *communicari non magis
potest*

potest, quam unitas, sed auctoritate habentis eam, cum effectu utuntur: sic ab unitate sumuntur numeri alii, duo, tres, quatuor & sequentes, ut tamen unitas ideo non sit numerus sed principium numeri: ut punctus non linea, sed principium lineæ, quæ ex punctis consequentibus oritur. Conferas Pet & Greg. lib 1 c 1 de rep. n. 9. Et quemadmodum virtus animæ per totum corpus & membra diffusa, sua per instrumenta exequitur mandata, sic Summa potestas, per ministeria magistratuum sibi subalternatorum, suam exercet auctoritatem. Huic iuri affinia sunt (α) Creatio Ducum, comitum, Palatinorum, & Baronum ac Nobilium: siquidem non dubium est Majestatem omnis dignitatis & nobilitatis fontem esse (β) Electio Senatorum, Consiliariorum, Supremorum Officialium regni, Episcoporum, Assessorum, Professorum, Consulium, Iudicum, & eorundem vocatio & confirmatio, observatis tamen ad id mediis ordinatis (γ) Amandatio Legatorum, sive jus mittendi legatos. (δ) Institutio & confirmatio Postarum & Curarum publicarum.

THE S. XIII.

Tertium locum inter jura Majestatis tenet extrema provocatio, quæ summum sibi tribunal vindicat Majestas, à qua ad alium quempiam provocare, nemini fas esse volumus. Consistit enim extrema provocatio in hoc, ut subditi à legibus à Majestate latis, provocare non possint: ad ipsam vero Majestatem provocare omnes possunt. Est quippe provocatio jurisdictionis inferioris judicis, per legitimam superioris invocationem in eodem judicio factam, suspensio semper cum ordine magistratuum ascendit, donec ad summam terminetur potestatem, in qua & ipsam desinere necessum est, Bodin. lib. 1, c. 10 pol. Hæc
tam

tamen apud nos in Regiis sistitur Dicasteriis: Vid. Ord. Iud. Revisione Regiæ Majestati reservata, & depositis in Iudicium intra octiduum 200. thaleris. Process. Iud. Ceterum ad extremæ provocationis Jus, pertinet quoq; (α) potestas veniam delictorum concedendi, relegatos restituendi, capitis damnatos absolvendi & imprimis reis læsæ Majestatis criminis, condonandi. (β) Jus vitæ & necis Ord. Iud. Sive Jus remittendi poenas capitales, quatenus non repugnant sanctionibus Divinis & naturæ, quibus Majestas derogare nequit. Quo nomine mansuetissimus Moses uno die millia tria occidi iussit. Exod. 32. 28. (γ) Jus cognoscendi de crimine læsæ Majestatis. Process. Iud. Quod tamen Jus devolutum & communicatum est Regiis Dicasteriis, ut etiam ex Process. Iud. adparet. (δ) Jus securitatem & salvoguardiam seu salvum conductum præstandi C. 31. R. B. L. L. solamquè decet Majestatem, inflectere lævi juris acrimoniam.

THE S. XIV.

Quartum deniq; *Majestatis* Jus facimus, potestatem belli inferendi & componendi. Heic enim universæ Reipublicæ salus vertitur. quò itaq; res ista periculosioris aleæ est, eò majõri cum consilio & deliberatione suscipienda. Unde Plato cap. 12. de legibus: Si quis consilio suo absq; auctoritate communi pacem aut bellum movet, ultimo condemnabitur supplicio. Majestatis igitur læsæ Crimen committit, quisquis sine summi magistratus mädato, bellum in imperio movet. Equidem usus armorum subditis est interdictus, & Jure nostro, privatis neq; arma gestare licet. Tit de Curiis cap 34. Nec auctoritate propria semet contra hostes defendere, nisi periculum sit in mora: Si vero præsens sit periculum, ut tempus non ferat eum consuli, qui supremum

mum in Civitate habet Jus, heic necessitas exceptionem
 porrigit. Nullibi invenimus tamen, nec in historiis anti-
 quis hoc, Jus indicendi Belli, & ineundæ Pacis, à Majestate
 divulsam. *Sic quamdiu potestas apud Pop. Rom: fuit, tamdiu*
quoq; potestatem belli indicendi ac finiendi penes eum mansisse. I-
 dem etiam in aliis Rebus, utpote Atheniensi, Lacedæmo-
 niorum & Tarentinorum, semper usu receptum fuisse. Non
 igitur est vera pax, quam Limitanei in Smolandia & Sca-
 nia, bello flagrante, inierunt de non offendendo: Vul-
 gò bondafred vocare solent, antequam sub unius Regis
 tutela acquieverunt. Hinc Majestatis nostræ indulgentia
 & benignitas, subditos ab interitu, quocunquè modo, et-
 iam in his connivendo ac tolerando, vindicari & conser-
 vari non detrectantis, cernitur. Interim bellum hac ratione
 pace non terminatur, sed belli saltem incommoda, ut dixi-
 mus, quodammodo avertuntur. Hùc referendum est (α)
 Jus Armandiæ sive Armanniæ, id est Jus Officinas consti-
 tuendi & Armamentaria, ubi arma caduntur: quales offi-
 cinæ *lunecapia, Arbogia, Telgù borealibus* & alibi sunt (β) Jus
 muniendi, murosquè Civitatum & oppidorum fortifican-
 di, (γ) Jus concedendi repressalias seu pignorationes,
 quas (Judice Beloldo) non adeò rectè Clarigationes voc-
 cant. de Jure Repressaliarum vide Grot. de Jure belli & pa-
 cis lib. 3. c. 2. (δ) Jus Foedera pangendi, quod nihil aliud
 est quam conventio publica inter eos, qui aut Summam
 potestatem habent, aut ad minimum hoc Majestatis jus: quod
 dispescitur 1. in Æquale vel Inæquale: Illud utrinquè eo-
 dem modo se habet: quale est cum Reges conveniunt, ut
 auxilia præstentur paria militum, ad omne vel aliquod bel-
 lum. Hoc utrinquè eodem modo se non habet, quando u-

nus Rex majora auxilia quam alter pollicetur. 2. In Reale sive perpetuum, & Personale sive temporaneum: Illud non renovatur & semper manet: Hoc ad certum durat tempus, vel cum contrahentibus esse desinit. 3. In Offensivum & Defensivum. 4. In fœdus Commerciorum.

THE S. XV.

Quintum deniq; *Majestatis* Jus est, in legitimatione spuriorum illegitimè natorum, sive liberorum naturalium, quia secundum naturæ, conjugium legitimum non attendentis, legem, uti bruta procreantur: aliàs indirectè quilibet illegitimè antea à se natum, vitiatam à se in uxorem ducendo, legitimare potest, *at non propriâ, sed legi auctoritate.* c. 2. Giff. B. Q. & St. Q. directè autem ejusmodi naturales liberi legitimantur per Rescriptum Principis solenne, ut à legitimis nihil differant, quamvis inhabiles æstimantur ad successiones feudorum, nisi specialiter & nominatim ad feuda legitimitio fiat. Huc referimus (α) Jus famæ restituendæ, undè macula famæ nominis iniusta, quasi nulla præcessisset inhonesta vita, adimitur & eluitur, (β) Veniam ætatis concedendi, quâ nondū legitimam implentibus ætatem, speciali indultu, sua administrare licet: talis venia concessa fuit ab ordinibus hujus regni, Anno 1611. Sub interregno, Gloriosissimæ Memoræ Regi Gustavo Adolpho nato annos octodecim. Christiano IV. Regi Daniæ, Anno ætatis 17. hanc veniam concessit Rudolphus II. Imperator Rom. 26. Aprilis Anno 1593. Reinkingh de Reg. secul. lib. 1. D. Gyl. de Jur. Majest.

THESES. XVI.

SEquuntur Jura *Majestatis* minora, quæ alias *Regalia* audiunt, commoda Fisci præprimis spectantia: pecunia enim cum rerum gerendarum nervus sit, omnis proinde benè instituta Resp. certa quædam fisci *Regalia* acquirit, è quorum proventibus nervi illi necessarii procurantur. Competit proinde horum in respectu Jurium, primò *Majestati*, Tributa & vectigalia imponere: illi n. est Jus in omnia publica & privata, puta ratione protectionis & directionis, quâ potest ex salute reip de iis disponere & subsidia sumtum reip. causa faciendorum, petere & imponere: & si necessitas fert, tributa vetera augere, & nova introducere, quod tamen absquè optimatum & populî consensu facere non vult. c. 4. R. B. Q. Tributa omnia illa vocare licet, quæ subditi ex suis bonis tam mobilibus quàm immobilibus collata pendunt solvuntq; , consuetudine, legibusquè & decretis observatis. Exiguntur ejusmodi tributa, vel ratione terræ, sive agrorum, vinearum, aurifodinarum, vel ratione mercaturæ &c. quæ tributa subditi solvere tenentur, cum id requirat Dei mandatum, tum generale Matth. 22. 21. tum speciale, quod in debellatas gentes victoribus conceditur Deut. 20. 10. 11 Simul ac reip. necessitas: Ceu enim corpus totum, alimentis ventriculo denegatis, ad tabem redigitur: Ita tributis Magistratui præcis, impendet extrema reip. pernicies,

THESES. XVII.

SECundò *Majestati* competere dicimus Jus monetarium, quod consistit in re numaria & moneta cudenda: ad
 C 2 quam

quam requiritur 1. *Causa efficiens*, nimirum *Majestas* mandans. 2. *Materia*, bonitas scilicet monetæ intrinseca: estq; vel *aurea*, vel *argentea*, vel *area*: hæc enim metalla, cum ex constitutione gentium in magno habeantur pretio, commodissimam monetæ materiam præbent. 3. *Forma* est signum publicum monetæ impressum. 4. *Valor* est quantitas sc. intrinseca pecuniæ, cujus perpetua & publica æstimatio est, quâ difficultatibus permutationum subvenitur: Valor autem & forma à Majestate sunt. De Moneta & ejus valore vide decretum Norcop. Anno 1604. Majestatis quoq; est monetæ mutatio, quæ tamen fieri non debet nisi (α) moneta sit falsa sive adulterina, nimirumq; alienam mixturam vitiatam (β) nisi æstimatio & valor materiam monetæ superet; quod fieri potest: vel ex communi hominum usu, vel si ponderi monetæ debito, aliquid detractum sit, vel eadem moneta circumcissione diminuta. *Qui autem monetam absque privilegio Majestatis cudit, sit reus criminis læsæ Majestatis*: In Gallia oleo fervente & aqua suffocatur talis; In Hispania suffocatur laqueo, in imperio Rom. flammarum exustionibus mancipatur.

THE S. XVIII.

Tertio *Majestas* sibi vendicat Jus Angariarum & parangariarum, quæ sunt equorum jumentorum, navium, plaustrorum in itineribus Regionum ministrorum, armorum transvectione aliave necessitate exigendorum, præstationes. Svecicè *Stiuhferd/ Stiuhning/ Stiuhreesor*. c. 5. R. B. LL. Quæ sunt munera patrimonialia seu realia. nomen aliàs *Perficum* est; vide Herod. apud Persas erat *ayya*.

ἀγγαρείον δρόμημα, cursus perniciosissimus. Et Suidas inquit: Angari fuerunt, Persarum Regii Nuncii, quorum subindè aliis alii in itinere succedebant. Nunc autem hæ Angariæ ex Decreto Comitiali Anno 1649. certâ pecuniæ Summâ à subditis redimuntur, qui jam ab iisdem ordinariè sunt immunes. Huc referimus personales operas, Jus operis vel operæ, cum determinatas: *âhrliche dagzwerfen* tum indeterminatas. Quas operas & labores etiam certâ conditione Sereniss. Reg. Majestas limitavit.

THE S. XIX.

Quartò competit *Majestati* Jus venandi, seu nobiliores capiendi feras, c. 23. *Byg. B. LL. & 34. R. B.* non lege naturæ, sed longa præscriptione in Reges derivatum: Jus item argentariæ, seu metalli fodinas, auri, argenti &c. occupandi & excolendi, quò inventionem thesauri referimus.

THE S. XX,

Deniquè quintò accensentur *Juri Majestatis*, viz publicæ, quæ sunt Basilicæ, id est, quæ Regiæ sive Regales, Prætoricæ, Consulares vocantur: Illas & à latronibus quibus plerumq; tempore belli, sunt obnoxiz, liberas & immunes præstare Majestatis est. cap. 4. *R. B. LL. art. 7.* item 24, 25, 26, 27. *R. B. LL. Edz B. c. 13. LL. & c. 12 St. L.* item Jus fluminibus publicis utendi, piscatione & navigatione & molendarum extructione: undè annui redditus ex piscatione & fluminibus.

THE S.

SEXTÒ Jus puniendi & mulctandi, quod quamvis ad Justitiæ administrationem spectat, fisco tamen mulctæ & bonæ immediatè inferuntur: undè fiscus subindè augetur. Hùc (a) mulctam referendam volumus ordinariè inter Regem, Actorem & universitatem sive territorii sive municipii sive alius communitatis, dividendam. (β) Mulctam Soli Regi assignandam Konungz een saaf. cap. 2. R. B. 22. Sic 40. marc. multandus est majori comitatu' adiens Regem quam lex permittit. c. 23. R. B. 22. Eandem etiam mulctam pendet, plures fundos vestigales corradens, redditus Coronæ imminuendo c. 30. R. B. 22. item violans sententiam à Rege vel illius vicariis latam c. 32. eod. Tit. venationem in campis Regiis instituens cap. 34. eod. Tit. & si quis prohibita exercuerit mercimonia. Landzöp c. 6. Köpm B. 22. (γ) Mulctam cædis clandestinæ, dulga dråp 25. 26. & 27. dråpm B. med wllia / ubi mordgåld vocatur. (δ) Jus bona vacantia & caduca occupandi, cum moritur extraneus, qui hæredem, in cujus possessionem Jure quidem hæreditario, bona ejus descenderent, non habet: nobis Danaarf c. 23. Erfd B. 22. c. 18. St. 2. eod. Tit. imo etiam ex parte cum indigena absquè hærede moritur c. 23. Erfd B. 22. c. 18. St. 2. eod. Tit. & intra annum non comparentibus hæredibus, censenda est hæreditas caduca. (ε) Bona damnatorum & proscriptorum Coronæ debentur, quæ tamen in illustribus & nobilibus⁹ familiis proximo alicui agnato per peculiare privilegium & gratiam Ser. Majestatis cedunt. (ζ) Bona crimen læsæ Majestatis committentium, salvis tamen bonis uxorum, liberorum

rorum & familiarium, tam mobilibus quam immobilibus priv. Nob. p. 1. (n) Prædia inculta & deserta, res habitæ pro derelicto: animalia & bona, quoru Dominus ignoratur (9) res item naufragæ, confiscationes & alii Jurisdictionis sublimioris fructus. (i) Jus collationes extraordinarias, exigente Reip. necessitate, instituendi: utpote Jugationes, capitaciones & accisas: aliaquæ subsidia Majoribus ignota, fidelibus subditis promptè conferenda & penda.

THESES. XXII.

Septimò & ultimò urbes extruendi, easque privilegijs donandi, competit Majestati: jus arces, castra, & palatia ædificandi & inhabitandi, ex Bonis coronæ & Ulsaliensibus reditus appropriandi. c. 2. R. B. Q. Jus Solennes & universales nundinas instituendi, Stapulæ item seu emporij jus concedendi, jus mensuræ & ponderum, circa negotiationes & commercia ordinare, Serenissimæ est Majestatis. *Heic manum de tabula: Tuum est benevole Lector, hoc quidquid est, ingenij Specimen, ob dignitatem & excellentiam materiæ, æqui bonique consulere.*

*Gloria sit patri, sit nato gloria sancto,
Gloria spiritui triadi sit gloria sacra.*

QUÆ.

QUÆSTIONES:

1. An Jura Majestatis salvâ Majestate communi-
cari possint? Dist.
2. An potestas religionis æquè communicetur, ac
aliæ Majestatis particulæ? Aff.
3. An ministri Ecclesiæ civilem potestatem habe-
ant? Neg.
4. An. Ministri Ecclesiæ tributis subjecti sint? Aff.
5. An populus sibi constituens Regem, superior
sit ipso Rege? Neg.
6. An Reges Sveo-Gothiæ, Imperatori Rom. su-
am debeant Majestatem? Neg. *Contra Lin-
benthalium, Keckermannum, Beccherum & Besold.*
7. An summa potestas ad solam Monarchiam re-
stringatur? Neg.
8. An possit Majestas personalis subditos ad fi-
dem cogere? Neg.
9. Ergone Hæretici Capitali supplicio sunt affici-
endi? Dist.
10. An. 1. Sam. 8. v. 11. describatur Jus Tyranni-
cum, vel Regium? Dist.

ADDITAMENTUM.

Impio Regi est parendum,

Soli Deo Gloriz.

Eruditione & morum elegantia conspicuo Juvēni,
De JURIBUS MAJESTATIS pro gradu Magisterii
nervose disputanti,

DN. PETRO H A H N /

Academiae nostrae Vice-Bibliothecario maximè industrio,
Philosophiae Candidato dignissimo, & amico suo
singulariter dilecto:

Quod Majestatis pertexere jura suprema
Audeat in praesens culta Minerva tua,
Laudo conatus celebres, tantisque futura
Castalidum nisu, praemia, spero brevi.
Usibus ut patriis, tua multa industria porro
Inservire queat, totus id opto. Vale!

M. Flachs.
York

Hæc pauca L. m^q; licet occupatissimus
scripsit

JOHANNES FLACHSENIUS

Mathem. Prof. Ord. & h. t. Acad.

RECTOR.

Ad Eruditione solidâ ac moribus egregiis politissimum,

DN. PETRUM H A H N / SMOLANDUM,
Philosophiae Candidatum meritissimum,

Disputantem pro Gradu, ὁμοχῶρον & amicum per dilectum:

Regia jura docent Academica pulpita nostra:
Regia jura colunt qui pia Regna tenent
Propria dispensat vir justus, cuique relinquens
Plus, sua lædier ac lædere vult alios.

Hæc partim scripto monstras doctissime Petre,
Fers partim ad praxin, Galle canore, vale!

L. M^q.

ENEVALD. SVEN:

Q. G. A. S. S. Th. Doctor.

In Gratiam
VIRI-JUVENIS
DN. PETRI H A H N
Philos. Cand. meritissimi,
Sympatriotæ & amici perdilecti,
CARMEN SAPHICUM:

ERrat inquirens Ithacensis Urbes
Ecce! turritas, variumque cælum,
Passibus, vastos, dubijs, per agros;
Cautus Ulyxes.

Quicquid infesti, (referant Priores)
Passus, affirmat Nitidus Monarches!
Sapè miratur! simul osculatur!
Gesta imitanda!

Remigum pulsu, beluas marinas
Lusit & Circen: Polyphemus ipse
Lumine orbatu: domuit Cyclopes
Lastrjgonasque.

Victor invisit patrios penates,
Dura perpressus, reputans honori!
Vulnera & plagas sinuosa monstrat!
Adde trophæas!

Haud secus campos sophicos pererrans,
Multa rimatur facillè venusta!
Vendit hac ingens labor atque sudor
Impete gnavo!

Lauream jussæ tribuere Musa
Hah! Tibi pingvem! Viridem Corollam!
Quamque mox portas, meritù paratam,
Omine felix!

Avena modulatur gracili

ELIAS Tit. Lândz

Med. Doct. & Prof.

*Pereximie Dn. CANDIDATE Respondens
Amice singularis.*

ET sibi excellens, & cunctis gratus est is, qui in Politico studio, documenta sui profectus monstrare potest, nam animum suum prodit, rerum præcellentissimarum capacem, magnumque concivibus suis, de se, commodum promittit: Quis itaque est Mecænatum, qui tibi, *pereximie Dn. Candidate*, non favet? Quis commilitonum & familiarium, de erecto tuo, ad publica commoda ingenio, sibi non gratulatur? Audivimus namque te, non semel, in speculativis & communioribus artibus, subtiliter differentem, in Theologicis quoque attentum & providum; nunc sublimia & hominum societati utilissima, svavi oratione (cum in præsentis disputatione, de Majestate ejusq; Juribus quæris) ex mentis tuæ supellectile, doctè promis: Tibi itaque *pereximie Dn. Candidate*, tantos profectus, tamq; excellens ingenium gratulor, mihi etjam gaudeo, & successus tibi voveo prosperos, magnatum favorem ominor, meaque studia promitto. Vale

Ut tuum cupie

SAMUEL Gyllenstålpe.

Petre tibi placitum fuerat, penetralia Phæbi
Lustrare & studiis continuare dies
Ac totas noctes, biberno sidere Longas.
Nomen honoratum te manet inter eos
Indolis armavit bonitas quos omnia ad ista,
In quibus excellit Mens operosa Viri.

Mate-

*Materiam raram, quam differis esse fatetam
Aoniis quisquis commadefactus aqum.*

*Perge bonis avibus, Numen caeleste secundet
Caepa! Vale longum! deniq, vive diu!*

Pereximio Dn. Candidato, amico suo honoratissimo, L. Mq; quamvis festinè gratulatur

SIMON Tälpo/

Def. Log. & Metaph. Prof. Publ.

MONSIEUR.

SI je me puisse bien servir de cette belle occasion, ou je me trouve maintenant, je m'estimerois en verité fort heureux, & je m'en donnerois aussy un agreable contentement, usques au temps, que le bon Dieu & la fortune donnassent des autres moyens, aussi profitables pour vous, que joyeux pour vos amys. Mais me souvenant bien, que mes foibles instrumens ne se peuvent pas accorder facilement avec vostre tres scavant discours de la Majeste & du Droit d' icelle; et puisque je suis assure que vostre presente dispute, en esgard de sa matiere, meritera la bonne faveur de chacun; j' aime mieux par mon silence recommander à tout le monde, sa reputation. Il me suffit pour cette fois, de vous dire ceque je pense de vostre louable dessein, voir, que je le prend pour une marque infailible, que vous aurez avec le temps non seulement un souhaitable progres en toutes vos entreprises, mais aussi un bon fin dans vos louables propos. Poursuivez donc a vivre en telle felicité. Vous serez ainsi aimable de Dieu, & un grand ornement de nostre tres chere patrie. Ce que je vous souhaite de tout mon coeur, avec toutes sortes des prosperites. Vous assurant que je suis, Monsieur, autant qu' homme du monde

Vostre tresobligé

A N D R E Syllentrock le Jeune.